

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
*FABULOSIS PLATONIS PHILOSOPHI
NATALIBUS ET NATALITIIS*

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. REG. ACAD. AB.

PRÆSIDE.

Mag. JOHANNE BONSDORFF,

REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO,

PRO LAUREA

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

HENRICUS ARENIUS

Borea - Fenno

In Aedibus Scholæ Cathedr. die XXI Junii MDCCEV.

h. p. m. f.

ABO Æ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO
ADMODUM REVERENDO ATQUE PRAECLARISSIMO
DOMINO MAGISTRO
JOHANNI ARENIO,
ECCLESIAE, QUAE DEO IN MJETOIS COLLIGITUR,
SACELLANO DEXTERRIMO,
PATRI BENIGNISSIMO,

*Haec pagellas, in pii et gratisimi animi pignus, dat,
dicat, dedicat*

PATRIS BENIGNISSIMI

Filius Obedientissimus
HENRICUS ARENIUS.

2



S. I.

Monumenta Veterum Historica, quoad res gestas Magnorum Virorum, fabulis et mythis abunde adeo esse conspersa et implicata, ut omnem haud raro spem veritatis eruendae abjicere cogantur vel sagacissimi Mythologi, neminem inficias iturum confidimus. Si vero ad natales et natalitia celeberrimorum antiqui Orbis Virorum respexerimus, narrationes Antiquorum, tot tantisque opinionum commentis deprehendamus refertas, ut, in recessu quid habeant, quorsumque tendant, mirum non sit, dubios saepissime haerere Interpretes. Cum enim, haud sane contemnendi, perhibeant Auctores, ROMULUM v. gr. et REMUM, ex Ilia Virgine et MARTE fuisse genitos (a), Indorum BUDDAM e latere Virginis fuisse procreatum (b), ALEXANDRUM MAGNUM, qui et ipse Deum se haberi voluit

A 2

(a) Cfr. HIERONYMUS *advers. Jovinianum* (Libr. II, Cap. XXVI), et PLUTARCHUS in *vita Romuli*.

(b) Cfr. HIERONYMUS l. c.

luit (c), ortum suum traxisse e Jove (d), ZOROA-
 STREM Perfarum (e), PYTHAGORAM (f), innumeros-
 que alios, priscorum memoria, sapientiæ et rerum
 gestarum laude inclytos, miraculoso editos fuisse
 partu (g); dura prima fronte videretur quæstio, quo-
 modo *απατορες* ejusmodi existere potuerint homines,
 nisi certum esset et extra omnem dubitationis aleam
 positum, *barbaros* non minus, quam *doctissimam* (ut
 HIERONÏMUS (h) ait) *Græciam*, non his tantum nu-
 gis excogitandis et divulgandis, verum aliis quoque,
 quoad Heroum suorum natalitia, prodigiis et porten-
 tis fingendis, singularem, vanam licet, quæsisisse
 gloriam. — In PLATONIS vero Philosophi natalibus
 et infantia amplificanda exornandaque, cum inge-
 nia sua inprimis exercuerint antiqui, Lectoribus in-
 gratum non esse judicavimus, si in commentis eo-
 rum enarrandis et castigandis, loco Speciminis Aca-
 demici, nostram contulerimus operam: benigniorem
 Lecto-

(c) Narrat AELIANUS (*var. Hist. L. II. Cap. XIX.*) ALE-
 XANDRUM, superato Dario, rebus suis secundis turgescen-
 tem, et Divinitatis arrogandæ cupidum, Græcis scripsisse,
 ut se Deum decernerent; Lacedæmonios vero, aliis alia
 decernentibus, ejusmodi (satis lepidum!) fecisse decre-
 tum, *επειδή Αλεξάνδρος βουλευται Θεός ειναι, εσω Θεός.*

(d) Cfr. PLUTARCHUS in *vita Alexandri.*

(e) Cfr. HYDE *de Religione Vet. Pers.*

(f) Cfr. BRUCKER *Hist. Crit. Philof. Tom I. pag. 994. seqq.*

(g) HUETII *Demonstr. Evang. Propos. IX. pag. 693.*

(h) l. c.

Lectoris cénfuram eo magis, quod temporis penuria laborantes, materiam hancce nonnisi per summa eundo capita percurrere nobis datum fuerit, expectantes.

§. 2.

Contestantur uno quasi ore PLATONIS Biographi, summum huncce maximique nominis et famæ, non solum inter Gentiles, verum etiam ipsos Christianos, Philosophum, quoad genus paternum e CODRO, generosissimo illo Athenarum Rege, quoad maternum vero e sapientissimo Atheniensium Legislatore SOLONE, originem duxisse, eoque pacto nobilitatis claritudine satis esse celebrem (b): Sed augustiore adhuc semine prognatum fabulosa voluit antiquitas; ita ut dignum iudicaret *Tyndares Lacedæmonius* apud PLUTARCHUM (c), idem de PLATONE, quod olim Ho-

(a) OLYMPIODORUS tamen in *vita Platonis*, origines Ejus, quoad maternum genus e CODRO, et qua paternum e Solone deducit; Sed repugnantibus ceteris auctoribus, vitam et natales PLATONIS exponentibus, erroris facile convincitur.

(b) Pater PLATONIS erat *Aristo*, Mater vero *Perictione*, (non *Amphictyone*, ut corrupta apud ORIGENEM *adv. Celsum* L. I. et VI. svadere videtur lectio). Cfr STANLEJUS *Hist. Philos. Pars. IV. C. I.* BRÜCKER *Hist. Crit. Philos. Tom I p. 628. seqq.*

(c) *συμποσιακῶν προβλημάτων* L. VIII, *Quæst. I. p. 264*, edit. REISKII

HOMERUS de Hectore modulatus erat (*d*), recinere:

Ουδε εωκει,
ανδρος γε Θνητων παις εμμεναι, αλλα θεοιο.

Collatis namque iis, quæ apud **DIOGENEM LAERTIUM**, **HIERONYMUM**, **ORIGENEM**, **OLYMPIODORUM**, **PLUTARCHUM** et **APULEJUM**, de **PLATONIS** leguntur natalibus, credere fas est, ore atque sermone Atheniensium tritam fuisse fabulam, Matrem **PLATONIS**, *Perictionam*, speciosissimæ formæ foeminam, phantasmate Apollinis, s. spectrò Apollinis imaginem referente, oppressam (*e*), immortalem Sectæ Academicæ genuisse conditorem, *Aristonemque*, ut a sponsa sibi uxore, donec sacrum edidisset partum virgo, per decem menses abstineret, in somno divinitus fuisse admonitum (*f*). In fontem vero, unde promana-

(*d*) II. XXIV. v. 258. 259.

(*e*) Jovem ipsum, in figuram Columbæ versum fuisse, cum virginem, nomine Phthiam complecteretur, ab Achivis commemoratum esse, testatur **ÆLIANUS var. Hist. L. I. Cap. XV**; ejusdemque farinæ commenta apud Græcos Auctores passim occurrunt.

(*f*) **DIOGENES LAERTIUS** (*de vitis et dogm. Philos. L. III. de Platone, Segm. II.* Edit. **WETSTEIN**,) ita habet: Σπευσίππος δ' εν τω επιγραφομένω Πλατωνος περι δειπνε, και Κλεαρχος εν τω Πλατωνος εγκωμιω, και Αναξιλιδης εν τω δευτερω περι Φιλοσοφων, Φασιν, ως Αθηνησιν ην λογος, ωραιαν ουσαν την Περικτιονην βιαζεσθαι τον Αριζωνα, και μη τυγχανειν. Παυομενον τε της βιας ιδειν την τε Απολλωνος οψιν. Οθεν καθαραν γαμβ φυλαξαι, εως της αποκηυσεως,

manarit hæc fabula, inquirentibus nobis, facili apparet negotio, laudatam historiolum aliunde, quam ex eo, quod PLATONEM festo Apollinis natum sciverint Athenienses (g), minime esse reperendam, atque PLATONEM, utpote illegitimo fortassis concubitu, ut BRÜCKER (h) suspicatur, satum (i), a Sæctatoribus

eandemque famam commemorant: HIERONYMUS l. c. his verbis: *Speusippus quoque Sororis Platonis filius, et Clearchus in laude Platonis, et Anaxilides in secundo libro Philosophiæ, Perictionem, matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt; et sapientiæ Principem non aliter arbitrantur, nisi de partu virginis editum*: ORIGENES (l. c. Cap VI): OLYMPIODORUS (*vita Platonis*, Tom. II. Edit. laudatæ DIOGENIS LAERTII, Græce inserta): PLUTARCHUS (c. 1.): APULEJUS (*de dogmate Platonis*).

(g) Testatur PLUTARCHUS, DIOGENES LAERTIUS et APULEJUS (l. 1. c. c.), PLATONEM festo Apollinis, sive Thargelionis septima, qua die natum Apollinem Delii autumarunt, primam aspexisse lucem: atque ille quidem mox addit: *διο τες Απολλωνι την Πλατωνος τεκνωσιν ανατιθεντας ουκ αν οιμαι τινα φανα κατασχουειν τον Θεον.*

(h) l. c.

(i) Præterquam enim, quod HIERONYMUS (l. c.) aperte profiteatur, *Speusippum* cet., PLATONEM de partu virginis editum affirmasse, DIOGENES LAERTIUS quoque (l. c.) haud obscure significat, Perictionam; tempore, quo sic dictum Apollinis filium conceperat, luisse inuuptam. Mulieris vero, præcis temporibus, inexpectatos amoris turriivi fructus, ad Apollinem retulisse, multa, observante BRÜCKERO, loquuntur exempla.

bus suis, ut Magistri sui famæ consulerent et existimationi, tanquam *filium Apollinis ex virgine*, fuisse habitum. Quidquid enim dicat *Tyndares Lacedæmonius* laudatus, de *possibilitate Fabulæ* (k), lubenter assentimur *Plutarcho*, qui in *Libro Præcept. Conjug.* (l) ita scribit: "παιδιον μὲν γὰρ οὐδεμὶα ποτὲ γυνὴ λέγεται ποιῆσαι διχα κοινωνίας ἀνδρός" (m).

§. 3.

Atque hinc quoque, quid de portentosis **PLATONIS** natalitiis sentiendum sit, judicare licet. Narrantibus scilicet **CICERONE** (a), **ÆLIANO** (b), **OLYMPIODORO** (c), ut alios taceamus, Parentes **PLATONIS**, *Aristonem* et *Perictionam*, cum infantulum recens natum, sacra pro eo faciendi gratia, *Hymettum*, *Atticæ montem*, *Deorum simulacris* et *altari- bus* non minus, quam *Apum mellisque abundantia*,
ut

(k) I. c.) Verba ejus ita audiunt: και εἰδεν οἰομαι θεῖον, εἰ μὴ πλησιαζῶν ὁ θεός, ὡσπερ ἀνθρώπος, ἀλλὰ ἑτέrais τι- σὶν ἀφαις δι' ἑτέρων και ψαυσεσι τρεπεί, και ὑποπιμπλήσει θειοτερας γωνης το θνητον."

(l) PLUTARCHI opp. Tom. VI. pag. 549. Edit. Reiskianæ.

(m) Quod de *vulturibus*, fetus sine maris congressu eden- tibus, scribit **ORIGENES contra Celsum** (I. c.), quisquiliis adnumerandum esse, nemo non perspicit.

(a) *De Divinatione* L. I. Cap. XXXVI. L. II. XXXI.

(b) var. *hist.* L. X. Cap. XXI.

(c) I. c.

ut PAUSANIAS (*in Atticis*) testatur, inclytissimum; perduxissent, filiolum suum in proximis deposuisse myrtis, apesque melliferas; ut futuram PLATONIS eloquentiam et singularem orationis suavitatem præsignificarent, in labellis parvuli dormientis confectas, os Ejus melle impleuisse Hymettio (*d*): in eam facile adducimur opinionem, hanc quoque fabellam, si vel maxime, unam aut alteram apem ori PLATONIS, dum sacris apparandis occupati essent Parentes, sese fortuito applicuisse concedamus, a Platonicis, quo majorem Præceptorum conciliarent auctoritatem, esse confectam (*e*). Valet enim de hoc commento, quod de miraculosis PLATONIS natalibus habet

B

ORI-

(*d*) Dicit OLYMPIODORUS (l. c.), apum illud examen ori infantis sese applicuisse, ut vere de Platone dicatur (*ἵνα ἀληθῆς περὶ αὐτῆ γενηται*) (Platone sc.) γενηται), quod HOMERUS (*Il. I. v. 249.*) cecinit:

"του και απο γλωσσης μελιτος γλυκιων ερεν αυδη"

Sed de Nestore sermonem esse apud HOMERUM l. c., vix eget notatione. Neque confundenda est, ut suspicamur (?), phrasis *ἵνα ἀληθῆς περὶ αὐτῆ γενηται* cum simili quadam, N. Testamenti Scriptoribus familiari locutione *ἵνα πληρωθῆ το ερεν* &c.

(*e*) Similiter Phrygiæ tradunt fabulæ, infante adhuc *Midam*, formicas in os pueri dormientis, tritici grana congestisse; eaque re, ditissimum fore *Midam* (quod evenit), prædictum fuisse. Cfr. CICERO l. c. AELIANUS l. c. L. XII. c. XLV., VALERIUS MAXIMUS L. I. cap. VI.

ORIGENES (f), his utens verbis: - - - "εδοξε
 γαρ τισιν, ου περι αρχαιων τινων ιστοριων και ηρωικων,
 αλλα και περι τινων χθες και πρωην γεγενημενων, ανα-
 γραψαι, ως δυνατον, οτι και Πλατων απο της αμφικτιω-
 νης (lege Περικτιωνης) γεγονε, καλυθεντος του αριζωνος
 αυτη συνελθειν, εως αποκησει τον εξ απολλωνος σπαρεντα.
 Αλλα ταυτα μεν αληθος μυθοι, κινησαντες εις το αναπλα-
 σαι τοιουτο τι περι ανδρος, ον ενομιζον μειζωνα των πολ-
 λων εχοντα σοφιαν και δυναμιν, και απο κρειττονων και
 θειοτερων σπερματων την αρχην της συσασεως του σωμα-
 τος ειληφεναι, ως τωτ' αρμοζον τοις μειζωσιν η κατα αν-
 θρωπον." *Cariat vero qui vult.*

(f) l. c. L. I.

